



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 90119266

§. 88. Principum atque Illustrium fata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

§. LXXVIII.

*Principum atque Illustrium fata.*Sæc. XVIII.
A. C. 1711.

His accensendi veniunt quidam Prin- *Kettel Dec.*
cipes hoc item anno denati; quos *VI. p. 625.*
inter primus occurrit Franciscus Maria *Vid. supra*
de Medices Ferdinandi II. Magni Etru- *§. 12. p. 47.*
riæ Ducis Filius, qui ob egregias animi
dotes honorificis officiis auctus, vige-
simo sexto ætatis anno Cardinalis ab
Innocentio XI. renuntiabatur, Purpu-
ram tamen, ut memoravimus, abdi-
cavit, ac die undecima Julii uxorem
duxit, tandem vero die tertia Februarii
quinquenarius atque improlis decessit,
nondum expleto matrimonii sui bien-
nio. Die autem decima quarta Julii
Joannes Guilielmus Friso Nassoviensis
Dux fœderati exercitus Archistrategus,
Mardycki flumen ad Hagam Comitum
trajecturus, nave a vento eversa sub-
mersus anno ætatis suæ vigesimo quarto
periit. Ultima ejusdem Mensis die de-
cessit Fridericus Guilielmus Boruffiæ
Princeps: Ejusdem nominis erat Cur-
landiæ Dux, qui cum Sponsam suam
Annam Ivanovnam Petri Moscoviæ Du-
cis Filiam in suam Provinciam duceret,
Knippinghofii maligna feбри correptus,
die vigesima prima Januarii naturæ
debitum solvit: quocirca Petrus, eo-

Aa 4

quod

Sæc. XVIII. quod Filiam suam gravidam crederet,
 A. C. 1711. tutoris nomine Curlandiam occupavit,
 eliminato defuncti Avunculo eam ad-
 ministracionem obtendente. Eiusdem
 vero Mensis die sexta decessit Joannes
 Hugo Baro de Orsbeck Trevirensis Ar-
 chiepiscopus atque Elector, cujus glo-
 riosum regimen bellicæ Gallorum turbæ
 & exactiones immodicæ turbarunt. Al-
 tera post ejus obitum die successit Ca-
 rolus Josephus Lotharingæ Dux Osna-
 brugensis Episcopus, qui jam anni
 prioris die vigesima quarta Septembris
 in Trevirensis Coadjutorem electus
 fuerat. Obiere insuper die vigesima
 tertia Februarii Guilielmus Christianus
 Holliato - Wiseburgensis Princeps, die
 prima Martii Carolus Hasso - Wanfri-
 densis Landgravius & die decima nona
 Decembris Philippus Guilielmus Mar-
 chio Brandenburgicus. Denique im-
 maturo atque inopinato fato sublatis sunt
 tres Leopoldi Josephi Lotharingæ Du-
 cis proles, & quidem die quarta Maij
 Elisabetha Carolina undecim annos
 nata, die decima ejusdem Mensis Lu-
 dovicus primogenitus Filius septennis,
 & sequenti die Gabriela quinquennis
 Filia: ob acerbam hanc jacturam Pon-
 tificex die decima nona Junii literis suis
 Ducem solatus est.

§. LXXXIX.